

politanae ecclesiae Magdeburgensis observari, taliter diffinimus, quod ecclesia Misnensis sicut omnes ecclesiae suffraganeae et eidem subiectae, non solum in divino officio, immo etiam in aliis consuetudinibus iura ecclesiastica respicientibus tenentur de iure communi sequi consuetudines ecclesiae metropolitanae, nisi aliqua ecclesia suffraganea vel alia subiecta super his habeat aliquas consuetudines speciales secundum varietatem personarum, locorum et temporum et aliarum circumstantiarum; consuetudines ecclesiarum diversimode variantur. Unde cum Misnensis ecclesia talem censuram districtiois, ut nostra metropolitana ecclesia minime patiat, non potest se in omnibus consuetudinibus nostrae ecclesiae metropolitanae conformare. Ordinamus igitur, ut canonici Misnensis ecclesiae in maioribus festivitibus, in duplicibus festis et apostolicis, qui de die ministrare debuerint, teneantur matutinis interesse et ad summum altare personaliter ministrare, et cum per dominum episcopum ipsorum canonicis eisdem dormitorium honestum et competens, in quo se commode recipere poterunt, ordinatum fuerit et constructum, in eodem dormitorio dormire et matutinis interesse, quando de die ministrare debebunt, in dictis temporibus tenebuntur. Et quia nobis a canonicis eiusdem ecclesiae est relatam, quod ipsi in praebendis maioribus constituti sint quatuordecim numero, ex quibus quinque debent esse subdiaconi et quinque diaconi, et quatuor sacerdotes, ut sacerdotibus in ministrando auxilium praebeamus, ordinamus, ut canonicis sacerdotibus praepositi¹⁾ monasteriorum sanctae Aefrae et sanctae Crucis ipsis in officiendo summum altare sint in subsidium et iuvamen. Insuper duo vicarii maiores eiusdem Misnensis ecclesiae ipsos canonicos in officiendo summum altare poterunt adiuvari, exceptis festivitibus, in quibus praepulsationes fieri consueverunt.

Secundam consultationem, quae est, utrum nos episcopus Misnensis, qui sumus in capitulo ecclesiae nostrae tamquam canonicus et praebendam ut canonicus habemus, debeamus in electionibus singulis et tractatibus capituli interesse et ad praemissa facienda per capitulum evocari, maxime cum praedecessores nostri fuerint in possessione vel quasi huius iuris, taliter diffinimus, quod utrum episcopus tractatibus et electionibus capituli interesse debeat, et utrum tamquam episcopus vel tamquam canonicus interesse debeat, in hoc diversarum ecclesiarum diversae consuetudines attenduntur, et quia nobis non constat, quod dominus episcopus Misnensis tractatibus et electionibus capituli sui interesse debeat tamquam episcopus vel canonicus de consuetudine approbata, sed canonici eiusdem ecclesiae Misnensis iurati deposuerunt, quod episcopus ipsorum tractatibus et electionibus eorumdem non consueverit interesse, nisi vocatus ab eisdem, ideo ordinamus, ut canonici praedicti seu capitulum Misnensis ecclesiae in non admittendo et non vocando suum episcopum ad tractatus et electiones eorumdem servant et teneant consuetudinem hactenus observatam.

Tertiam consultationem, quae est, utrum statuta et privilegia nec non alia gesta Misnensis ecclesiae sint per custodem vel subcustodem ecclesiae eiusdem, cui praedictorum custodia per nos est commissa, nobis sint referenda, et ad mandatum nostrum ad locum debitum et consuetum sint reponenda, ne perdantur seu illicite distrahantur, taliter diffinimus, quod privilegia et alia scripta, iura et episcopalia bona specialiter tangentia, episcopus per custodem vel per alium quem voluerit de capitulo

1) canonici sacerdotes praepositos Orig., offenbar sinnlos.
COD. DIPL. SAX. II. 1.